Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Bernhard Quistorp

Academiae Rostochiensis Hactenvs Rector Io. Bernh. Qvistorp, Medic. D., P. P. O. Et Poliater Ad Festvm Resvrrectionis Dominicae Pie Transigendvm Academiae Cives O. O. H. Ex Officii Ratione Cohortatvr, De D. Avgvstini Sententia: Corpvs Christi Resvscitati Esse Exsangve Nonnvlla Praefatvs

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1757?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036728

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

T. 512.
1757.
Ostern

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036728/phys_0001
DFG

T. 512.

—

1757 Ostern

A 1256. ~~344.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036728/phys_0002
DFG

Opl. 1757.

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
HACTENVS RECTOR,

IO. BERNH. QVISTORP,

MEDIC. D., P. P. O. ET POLIATER,

AD

FESTVM RESVRRECTIONIS DOMINICAE

PIE TRANSIGENDVM

ACADEMIAE CIVES O. O. H.

EX


OFFICII RATIONE COHORTATVR,

DE

D. AVGVSTINI SENTENTIA: CORPVS CHRISTI RESVSCITATI ESSE EXSANGVE

NONNVLLA PRAEFATVS

M. 1256 344



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036728/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036728/phys_0004
DFG

Quicunque ſtatum corporis dulciſſimi noſtri Redemtoris, ante vivificationem et poſt eam, inter ſe comparaverit, is magnam inter utrumque differentiam ſtatim deprehendet. Non quidem aliud atque aliud hic invenimus corpus Chriſti, ſed idem illud numero, quod in cruce mortuum, ſuoque illatum erat ſepulcro, ceu ex ipſa vivificationis et reſurrectionis notione ſtatim colligitur, et praeterea ex cicatricibus vulnerum, quae in cruce ipſi inflicta erant, poſt reſurrectionem adhuc ſuperſtitibus, haud difficulter patet: interim tamen maxime alteratum, longeque aliis, iisque excellentioribus, quam quidem ante vivificationem, veſtitum qualitatibus atque praerogativis. Immune enim erat ab omnibus illis infirmitatibus, quibus ſe Chriſtus in terrena ſua converſatione ante mortem ſponte ſubjecerat, qualis erat fames, ſitis, languor, et ſimilia, quae una cum mortali converſatione depoſuit. Et quamvis poſt reſurrectionem ſuam cum diſcipulis ſuis ediſſe et bibiſſe legatur Chriſtus, Luc. XXIV. 43, Actor. X. 41., id tamen factum eſſe, non ex indigentia quadam, ſed ex libera voluntate, ad demonſtrandam reſurrectionis ſuae veritatem, ex Luc. XXIV. 41. luculenter conſtat. Erat porro ſubtiliſſimum, ita ut ſolida nulla tranſitum Chriſto intercludere poſſent, Ioh. XX. 19. 26, imo

in äere aſcendere Marc. XVI. 19, Luc. XXIV. 51, Actor. I. 9, et pertranſire coelos Hebr. IV. 14. Habebat porro Chriſtus ſtatim ex vivificatione corpus, quod mori amplius haud poterat, Rom. VI. 9, quodve apparere, h. e conſpicuum fieri poterat, cum conſpicuum autea non eſſet, et diſparere, ſ. inconſpicuum fieri, ita quidem, ut cum antea viſum eſſet, non videretur amplius, quae ſubductio, ſi non inviſibilitatem, ſummam tamen agilitatem arguit, qua corpus in momento alicubi eſſe poteſt. Verbo: habuit Chriſtus poſt vivificationem ſuam σῶμα τῆς δόξης, ſ. glorificatum, ut Paulus dicit Phil. III. 21, quodve non demum poſt aſcenſionem ſuam in coelos accepit, ſed ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, ſcribente Paulo Rom. VI. 9, jam habuit, quamvis id ſimul facile concedamus, corpus Chriſti in illo intervallo 40 dierum, quas verſans cum diſcipulis ſuis in terris, poſt reſurrectionem tranſegit, non ad eum glorificationis gradum fuiſſe evectum, qualem nunc habet in ſtatu conſummatae exaltationis, ſeſſione ſcilicet ad dextram Dei, reditumque ad judicium extremum. Vt adeo in errore hic verſentur SOCINIANI, qui Chriſtum in vivificatione et reſuſcitatione glorificatum corpus accepiſſe prorſus negant, ſed in aſcenſione in coelos id demum factum eſſe perhibent, quibus hac in parte, ex rationibus tamen toties refutatis, accedunt, quod certe maxime miror, nonnulli ex Lutheranis recentiſſimis, juſtam idcirco rectę ſentientium cenſuram incurrentes. Vid. die Theolog. Biblioth. *Part.* 79. *pag.* 805. 809.

Suſcitata eſt hoc de corpore Chriſti ex mortuis reſuſcitati, et in gloria nunc verſantis, quaeſtio, de qua mentem meam breviter quidem, ſufficienter tamen, exponere nunc placet, ſcilicet: *Verum corpus illud, quod in paſſione ſua et morte ſanguinem ſuum pro noſtris peccatis largiſſime effudit, ſit exſangue, ſ. ab omni nunc ſanguine vacuum, nec pretioſiſſimus hicce liquor, in vivificatione in arterias, et venas* (ut notio vivificationis et reſuſcitationis poſtulat,) *iterum reaſſumtus, ſed potius miraculoſe collectus, coeloque a Chriſto in aſcenſione ſua illatus, ubi nunc ſeparatim a corpore ſuo ſanctiſſimo, cui antea naturaliter unitus erat, exiſtat, ut ſanguis tamen glorificatus.*

Primus

Primus inter omnes Ecclesiae Doctores, cui tale quid in mentem venit, merito hic allegatur Celeberrimus ille Hipponensium Praesul AVGVSTINVS, quapropter etiam hanc sententiam D. AVGVSTINI vocitare placuit. Is enim Episcopo CONSENTIO ad quaestionem: *Vtrum corpus Christi glorificatum gaudeat sanguine et ossibus*, ita respondet: „*Fides adsit et nulla quaestio remanebit, nisi forte de sanguine requirendum est, quia cum Christus*„ *dixisset: palpate et videte, quia Spiritus carnem et ossa non habet; non*„ *addidit sanguinem. Non ergo et nos addamus inquirere, quod ille non*„ *addidit dicere, et de compendio, si placet, finita est quaestio*“ (*Epist.*„ 146, vel ex *edit.* quae cura *Benedict. ex Congregat. S. Mauri* prodiit, 205). Vt adeo si Patrum testimoniis (ad quae contrarium defensuri inprimis se recipiunt Pontificii, et inter eos, qui mihi ad manus est, IGNAT. HYACINTHVS AMAT de GRAVESON *de mysteriis et annis Christi pag.* 495;) standum hic esset, isthaec sententia de corpore Christi resuscitati exsangui in effato AVGVSTINI, magnae interPontificios autoritatis, haud parum inveniat praesidii, quamvis nec inter reliquos Ecclesiae Patres, (qui enim Christo post resurrectionem et ascensionem corpus aëreum tribuerunt, plane huc non pertinent,) nec inter Scholasticos, secum consentientes invenerit unum alterumve.

Calvinianis e contra mirum in modum haec placuerunt, qui argumentum hic pro neganda reali praesentia sanguinis Christi in S. Coena inveniisse sibi visi sunt, argumentati: Qui sanguinem hodie amplius non habet, quomodo quaeso! is in S Coena sanguinem suum nobis exhibere potest? CALVINVM jamjam ita rationes subduxisse, docet allegatus GRAVESONIVS pag. 491. Majori tamen conatu id egerunt PETR. ALLIXIVS, Minister Parisiensis in Templo Charentonio, in *dissert. de sanguine Domini nostri Iesu Christi, ad Epistolam CXLVI. S. Augustini ad Consentium*, quae 1680 prodiit, notatus inprimis a IAC. BOILEAV, Doctore Sorbonico, in *disquis. Theol. de sanguine corporis Christi post resurrectionem Paris.* 1682. Eodem argumento orthodoxam sententiam impugnarunt ex Calvinianis, ALBERTINVS, de la ROQVE, et BASNAGIVS, citati a S. Vener.

Dno Cancellario PFAFFIO in *Dissert. Anti-Rogeriana* pag. 51. not. 555.

Nec defuere et adhuc desunt in nostra Ecclesia Theologi laudatissimi, quibus hoc AVGVSTINI commentum mirum in modum semet probavit, non leve commodum in refutanda Pontificiorum concomitantia Sacramentali, et quae hac ipsa fulcitur, specie sub una, exinde exspectantes. Tales sunt b. GEORG. CONR. RIEGERVS in der alten und neuen böhmischen Brüderhistorie Part. IX. pag. 68 seqq, nec non b. BENGELIVS in *Gnomone N. T.* ad *Hebr.* XII. 24. pag. 967. seqq. Accessit his tandem S. Vener. Tübingensis quondam, nunc Giessensis, Academiae Cancellarius, Dnus MATTH. CHRISTOPH. PFAFFIVS. Quamvis is enim ab AVGVSTINO quondam longe alienum semet professus fuisset, et in *tract. de imperſonalitate et perpetuitate humanae Christi naturae*, nec non in *Disput. Anti-Rogeriana*, contrariam adoptasset de reassumtione sanguinis Christi sententiam, mentem suam tamen mutavit, ceu ex *Orationibus ejus Academicis in Theol. Dogmat. pag.* 307. et 436, nec non *Dissertatione Tübingae* 1747, *in verba Hebr. VIII.* 4. habita: *Si Christus esset in terris, profecto sacerdos non esset pag.* 9. *et* 10. conspicere licet. Quid? quod hanc de exsangui Christi resuscitati corpore hypothesin, contra secus sentientes omni nisu defendere conatus sit. Cum enim b. HECHTIVS, apud Esenenses in Frisia Orientali Pastor Primarius, Scholarumque et Orphanotrophei Inspector, 1747 mortuus, judicium suum hac de materia modeste exponeret, reassumtionemque sanguinis Christi propugnaret, quod in observatione posthuma, s. t. bescheidenes Bedencken über zweier grossen Würtenbergischen Theologorum (b. RIEGERVM et b. BENGELIVM intelligit,) problematischen Vortrag, von dem ausser dem verklärten Leibe Jesu Christi im Himmel besonders existirenden Blute desselben, factum est, quae inserta legitur dem Hessischen Heb-Opfer Part. 49 pag. 829, ejus sub praesidio, peculiarem Dissertationem *de sanguine Christi in coelis extra corpus existente* Tüb. 1752 b. HECHTIO oppositam novimus.

Quod

Quod si autoritas magnorum Virorum hic aliquid valeret, huic sententiae statim subscriberem. D. enim AVGVSTINVS, RIEGERVS, BENGELIVS, PFAFFIVS, vah! quanta nomina. Quod si vero secundum pondera rationum hic omnia trutinentur, dicendumque sit quod res est, longe aliter pronuntiandum esse reor. Sic enim nullo hactenus idoneo argumento assertum AVGVSTINI probatum vidi.

Quantum enim ad ipsius AVGVSTINI rationem, cur Christi redivivi corpus exsangue credat, attinet: Christum resuscitatum sibi quidem carnem et ossa, non vero sanguinem, tribuere; hinc nos illum nec addere debere, omni ea robore destituta est, ceu b. BENGELIVS et S. Vener. PFAFFIVS facile concedunt. Cum enim Christus corpus suum resuscitatum discipulis palpandum sisteret, certe ejus tantum, quod immediate palpari et contrectari poterat, mentionem injicere et poterat et debebat, et hoc quidem non sanguis erat, sed caro et ossa.

Quantum vero argumenta reliquorum concernit, qui AVGVSTINO hac in parte accedunt, Theologos inprimis puto Würtenbergicos, quos in antecedentibus recensui, nisi me omnia fallunt, singula hic ita comparata sunt, ut neminem facile ad assensum trahere possint.

Inprimis hic urgetur locus Hebr. IX. 12, ex quo a sacerdote typico, sanguine victimarum, qui separatim ab ipso existebat, sanctum sanctorum ingrediente, ad sacerdotem antitypicum concluditur, qui etiam sanguine suo, extra corpus suum existente, coelum sit ingressus. Paulum vero rationes suas ita subduxisse vehementer dubito. Vt enim id tantum urgeam, quorsum omnia redeunt, maxime notandum est: in V. T. hostiam et sacerdotem fuisse diversa, hinc sanguinem victimarum exstitisse et existere debuisse extra sacerdotem; in N. T. vero Christum esse et sacerdotem et victimam simul. Hinc maxima hac in parte inter typum et antitypum disconvenientia. Hinc nulla prorsus consequentia. Accedit, quod particula διὰ hoc loco aeque minus sanguinem a Christi Sacerdotis corpore separet,

paret, ac eadem particula v. 11. immediate praecedente Christum summum sacerdotem a σκηνῇ s. tabernaculo (quod fatentibus Interpretibus accuratioribus est ejus corpus,) separare potest. Christus in meliori tabernaculo, quod non erat manu factum, nec similis structurae ac id, quod in V. T. conspiciebatur, suo Pontificatu functus est, in proprio scilicet corpore. Porro praestantiorem sanguinem Deo obtulit, non hircinum et vitulinum, sed proprium, θεανθρωπικὸν et θεανδρικὸν. Hic verus et genuinus est verborum Pauli sensus. Reliqua quae, ad enervandum argumentum secus sentientium, sua sponte exinde fluunt, vos Cives O. O. H. ipsi facile dijudicabitis.

Nec praesidium huic sententiae affert, quod in Scriptura S. sanguis Christi nobis repraesentetur ut effusus, Hebr. XII. 24, Christusque nobis sistatur ut agnus mactatus, hinc sanguine vacuus, Apocal. V. 6. Id enim maxime disquirendum venit: utrum sanguis Christi, ut olim in ara crucis effusus, utrum vero ut adhuc effusus et a corpore separatus, Christusve ut agnus non olim, sed adhuc mactatus, nobis repraesentetur. Velim hic attente consideretur locus Hebr. IX. 25. 26. 27. 28, et quid dicendum sit, facile apparebit. Agnus, qui nobis Apoc. V. 6. sistitur ἐσφαγμένος, veniens tamen et accipiens e manu sedentis in throno librum aliquem v. 7., gloriaque adorationis fruens v. 8, non potest esse agnus adhuc mactatus, quamvis olim talis fuerit, signa ejus status, in quo fuerat olim, in visione Prophetica referens. *Conf.* D. HEVMANNVS in *interpretatione quinque locorum N. T, obscuritate insignium pag.* 13. Sanguis Christi quidem comparatur cum sanguine Abelis, non tamen quatenus effusus est, sed quatenus clamat ad Deum, (per expressam literam textus). Vocatur αἷμα ῥαντισμοῦ, *sanguis adspersionis*, non quatenus est extra Christum, sed extra nos, intra debitum gratiae ordinem, cum omnibus, quae ad obedientiam Christi tam activam quam passivam, (haec enim sanguinis Christi, nos lavantis et mundantis nomine venit, non rubicundus ille tantum liquor, qui in arteriis et venis Christi continetur,) pertinent, nobis applicandus non physice, (quod existentiam ejus

extra

extra venas et arterias arguere posset,) sed morali et forensi ratione, per imputationem, ceu in articulo de justificatione docetur.

Sanguinem Christi pro nobis ἐκχυνόμενον in S. Coena nobis propinari certum est. Ex eo tamen nullo modo sequitur: illum a corpore separatum existere, nisi etiam concludere velimus, separatum ab anima in coelo existere corpus Christi, cum et hoc, pro nobis διδόμενον, in mortem scilicet, (ubi anima Christi localiter a corpore suo erat separata, aeque ac sanguis ab arteriis et venis,) in S. Coena nobis exhibeatur.

Praeter defectum idoneorum argumentorum adhuc alia mihi in promtu sunt, quae quo minus AVGVSTINO et sequacibus accedam, memet impediunt. Recensebo singula paucis.

Ante omnia hic supponitur, quod utrum adeo facile supponendum sit, adhuc dubito, scilicet, sanctissimum corpus Christi in passione et morte omni prorsus sanguine vacuefactum fuisse. *Vel guttam de tota sanguinis massa in corpore sanctissimo remansisse, haud scio an dicere possit, qui verba Psalm. XXII, 15. 16. perpenderit*, scribit B. BENGELIVS. Verum ex dicto allegato id non sequitur. Largam quidem et largissimam, non vero omnimodam sanguinis profusionem ista verba testantur. Dulcissimum Servatorem mortuum jam fuisse, cum multum adhuc sanguinis in sanctissimo ejus corpore supereresset, fluxus sanguinis et aquae ex aperto per lancem latere testatur. Hac vero ratione ne quidem omnem sanguinem, ad extremam usque guttulam, ex corpore Christi exiisse credo. Permultum certe ex adhaesione in arteriis, venis, vulneribusque remansit, ceu principia Physica et experientia testantur. Hinc corpus Christi resuscitati ne quidem exsangue dici potest, etiamsi sanguinem in ara crucis effusum, haud reassumsisset.

Porro: si corpus Christi glorificatum omni caret sanguine, idem etiam, de corporibus beatorum, quae aliquando erunt σύμμορφα τῷ σώματι τῆς δόξης τοῦ χριστοῦ Phil. III. 21, asserendum erit, ceu actu faciunt contrariae sententiae fautores. vid. b. BENGELIVS l. c. pag. 971, et S. Vener. PFAFFIVS *Dissert.*

Dissert. alleg. §. 15. pag. 19. seqq. Hoc autem qua ratione probari queat, nec video, nec hactenus probatum vidi. Sanguinem in corpore coelesti s. glorificato non easdem vices subire, quibus defunctus est in corpore animali (s. rectius non-glorificato,) ut vitam corporis efficiat, ut facultatem locomotivam sustentet, proindeque vel separatim, vel plane non existere, gratis assumuntur, et aeque facile negantur, quam affirmantur, et si affirmantur, huic tamen argumento nullus plane inest nervus. Quid enim dicendum erit de plurimis corporis nostri membris? Quae vero in citata dissertatione Pfaffiana §. 2. p. 5. de stomacho in altera vita abolendo, de particulis sanguinis cum aliis in resurrectione jungendis, ut glorioſum corpus efficiant, hac de materia occurrunt, velim Vos A. C. O. O. H. ipsi pensitetis, et quousque nimius, hypotheseos semel mente conceptae, amor, fautores suos deducere queat, videatis. Paulum potius longe alia docere persuasus sum, quando 1 Cor. XV. 53. nos instruit: τὸ φθαρτὸν τοῦτο δεῖ ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. *Illud ipsum* autem mortale et corruptibile, quod nunc gerimus, quodve in glorificatione erit incorruptibile et immortale, sanguine gaudet, quo adeo in glorificatione haud potest privari, quia alias non esset τὸ φθαρτὸν καὶ θνητὸν τοῦτο, *idem illud* nunc mortale et corruptibile, sed longe aliud.

Et si tandem dicendum quod res est, in ea semper versatus sum opinione, haud levem hic se manifestare contradictionem cum notione resurrectionis Dominicae. Haec enim involuit, ut idem illud numero corpus Domini, quod mortuum erat et sepultum, vitae suae restitueretur. Corpus autem cui deficit sanguis, parte quadam integrante destituitur. Corpus ex quo sanguis, circulatioque sanguinis abest, longe aliam oeconomiam animalem involvit. Quomodo vero tale corpus potest esse idem numero corpus quod antea ceciderat? Ex vero pronuntiat incomparabilis DANNHAVERVS in *hodosophia phoenom.* 8. p. m. 750: „*Resurrexit Iesus secundum carnem, eamque „totam, sanguine, ad complementum et decus corporis pertinente, non excluso,*

excluso, sed restaurato. Est enim pars integralis ad corporis aggregati, non solum ornatum (ut pluma avibus, squama piscibus, pili animali, annati,) sed perfectionem faciens, qua absente homo esse nequit. Ad hoc argumentum nondum legi aliquid, quod attentionem mereatur, ex parte secus sentientium in medium prolatum. Putant equidem corpus aliquod vivum, inprimis post resurrectionem gloriosam, non necessario requirere sanguinem; hunc enim corporis quidem *animalis* necessarium esse requisitum sibi persuadent, non vero *glorificati*, quale est corpus Christi post resurrectionem. Verum difficultas, quae hic tollenda venit, plane non tangitur. Id scire velim, quomodo corpus post resurrectionem sanguine vacuum, idem numero corpus esse possit, quod antea cecidit, cum ad idem numero corpus eaedem partes, quae adfuerant ante, (adeoque etiam sanguis,) idemque modus compositionis pertineant. Nec id credo facile quempiam concessurum, corpus animale et glorificatum sibi invicem opponi, quae potius sibi subordinantur. Non enim duae sunt cospecies, quarum una alteram excludit, sed corpus animale genus est, quod corpus non-glorificatum et glorificatum sub se comprehendit. Certe corpora nostra in futura vita beata erunt et manebunt corpora animalia, id est ad unionem cum anima destinata, ejusque instrumenta, quae nec defectum aut mutationem partium modique compositionis, licet qualitatum, involvunt.


His pro temporis paginarumque angustia breviter quidem, sufficienter tamen, ut credo, disputatis, in judicio b. FECHTII, magni quondam nostrae Academiae Theologi, acquiescere nullus dubito, scribentis: „*Immerita* (de superstite adhuc in corpore sanguine Christi,) *dubitavit* AVGVSTINVS: „*et ex hujus, aliorumque Patrum incommodis de sanguine Christi locutionibus, P. Allixius immerito absentiam sanguinis Christi ex S. Coena collegit.*„ Vid. *Sylloge sel. Controv. Theol. Disput.* XXV. *th.* 8. *pag.* 312. Stat hactenus sententia, de reassumto in sanctissimum Christi resuscitati corpus sanguine, firma et inconcussa, nec principium illud, ex quo reassumtio pretiosissimi hujus sanguinis

nis deducitur, adeo facile ſubrui poteſt. Hoc vero non eſt incorruptibilitas ſanguinis Chriſti, ſed vivificatio, vi cujus Chriſtus omnia reaſſumſit, quaecunque ad idem numero corpus, cum omnibus ſuis partibus, ad perfectionem ejus eſſentialem neceſſariis pertinent, quorſum et ſanguis ſpectat. Quicunque e contra reaſſumtionis fautores ita concludere ſibi concipiunt: *Sanguis Chriſti eſt incorruptus. Ergo in venas rediit*, hinc ſaltum eos committere accuſant, horum cenſura accuratiores haud tangit, quippe qui ex vivificatione, non ex incorruptibilitate, eam deducunt.

Majorem nobis hac in parte convictionem *Cives Academiae O. O. H.*! afferet, quam pie anhelamus, futura vita beata, ubi in coeleſti Academia verſantes, etiam hac de re evademus certiſſimi. Faxit dulciſſimus noſter Servator, ut aliquando gloriae, in qua, ex mortuis reſuſcitatus, nunc verſatur, reddamur participes, ejusque glorificato corpori evadamus σύμμορφοι, per μεταςχηματισμὸν, qui finaliter credentibus in beata et glorioſa reſurrectione aliquando certo exſpectanda eſt, Phil. III. 2. Quem in finem id nobis maxime ſit curae cordique, dum vivimus, ut pretioſiſſimo Chriſti ſanguine, in ara crucis pro nobis effuſo, nunc vero in glorioſa reſurrectione reaſſumto, corda noſtra conſcientiasque lavemus, 1 Ioh. I. 7, Hebr. IX. 14, carnem, Diabolum et mundum, imo ipſam denique mortem vincamus, et *cum Chriſto plantati ad ſimilem mortem, ipſi etiam in reſurrectione aſſimilemur* Rom. VI. 5.

P. P.

SVB SIGILLO RECTORALI ACADEMICO,
FERIA I. PASCHALI MDCCLVII.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004036728/phys_0016
DFG

excluſo, ſed reſtaurato. Eſt enim pars integralis ad corpori
non ſolum ornatum (ut pluma avibus, ſquama piſcibus, pil
annati,) ſed perfectionem faciens, qua abſente homo eſſe neq
hoc argumentum nondum legi aliquid, quod attenti
reatur, ex parte ſecus ſentientium in medium prola
tant equidem corpus aliquod vivum, inprimis po
ctionem glorioſam, non neceſſario requirere ſa
hunc enim corporis quidem *animalis* neceſſarium e
tum ſibi perſuadent, non vero *glorificati*, quale
Chriſti poſt reſurrectionem. Verum difficultas, qu
lenda venit, plane non tangitur. Id ſcire velim, quo
pus poſt reſurrectionem ſanguine vacuum, idem nu
pus eſſe poſſit, quod antea cecidit, cum ad idem nu
pus eaedem partes, quae adfuerant ante, (adeo
ſanguis,) idemque modus compoſitionis pertineant
credo facile quempiam conceſſurum, corpus anim
rificatum ſibi invicem opponi, quae potius ſibi ſubc
Non enim duae ſunt coſpecies, quarum una alte
dit, ſed corpus animale genus eſt, quod corpus
rificatum et glorificatum ſub ſe comprehendit.
pora noſtra in futura vita beata erunt et manebu
animalia, id eſt ad unionem cum anima deſtinat
inſtrumenta, quae nec defectum aut mutationer
modique compoſitionis, licet qualitatum, involvu

His pro temporis paginarumque anguſtia br
dem, ſufficienter tamen, ut credo, diſputatis, in
FECHTII, magni quondam noſtrae Academiae
acquieſcere nullus dubito, ſcribentis: „*Immerito* (d
adhuc in corpore ſanguine Chriſti,) *dubitavit* AVGV
et ex hujus, aliorumque Patrum incommodis de ſanguine
tionibus, P. Allixius immerito abſentiam ſanguinis Chriſti
collegit.„ Vid. *Sylloge ſel. Controv. Theol. Diſput.* XX
312. Stat hactenus ſententia, de reaſſumto in ſa
Chriſti reſuſcitati corpus ſanguine, firma et inco
principium illud, ex quo reaſſumtio pretioſiſſimi h

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036728/phys_0017
DFG